

partibus essentialibus non coalescit, tum *quoad quantitatem*, ut quae nullas in se habet partes integrantes nec actuales, nec possibiles, sed prorsus inextensa est, quamvis in corpore vigeat extenso. Simplicitas ergo animae est carentia partium, tum *essentialium*, tum *integrantium*.

Spiritualitas animae. Anima spiritualis dicitur in quantum est per se subsistens, et per se agens actiones suas specificas independentes subjective a corpore.

Generatio spontanea consistit in caeca atque accidentali et progressiva explicatione materiae a statu bruto et informi ad vitalitatem, et successive, usque ad vitam rationalem in homine. Quo sensu dixit De Lamettrie quod "terra fuit primus uterus hominis"; et Robinet quod "omnes rerum species non sunt aliud quam naturae tentamina ad hominem efformandum."

Unio personalis est quum inter substantias quae uniuntur, habetur unitas et communicabilitas actionum: quatenus nempe actiones utriusque substantiae, ut principii quo, sunt alterius principii quod, nempe *suppositi*, in quo utrumque subjectum unitur. Sic in unione personali Verbi cum natura humana, actiones utriusque naturae unius ejusdemque *suppositi* sunt, nempe Personae divinae.

Unio essentialis habetur quando ex duabus substantiis unitis exurgit non solum unitas et communicabilitas actionis, sed etiam unitas specifica naturae in qua substantiae unitae existunt. Ita ex materiae primae et formae unione exurgit omne corporeum.

Unio accidentalis illa dicitur ex cujus existentia non exurgit nova *essentia*, neque *communi-*